



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

81. Cap. Pauci sincerè Deum diligunt.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

## CAPVT LXXXI.

*Pauci sincerè Deum diligunt.*

**V**Idere licet plurimos, qui ingenio, ceterisque donis, quibus ornati sunt, multa & præclara præstare possent; sed nihil horum efficiunt, eò quod labores & certamina subterfugiant, alios laborantes & certantes spectasse contenti.

Quid prodest multa scire, si pauca, aut vix ulla exequamur? quid juvat perfecta notitia rerum, que ad Sanctimoniam adipiscendam conducant, si manum operi admovere detrememus?

Qui nil arduum suâ causâ agere, vel pati vult, is se ipsum non amat; neque proprio studet bono, quisquis, ut potius aeterno, momentaneum, si ita loqui fas est, malum tolerare recusat: ubi pugna non est, illuc victoria esse nequit.

Remissè Deum diligit, qui se ipsum intensè amat, atque omnia ad suum comodum inclinat: qui enim Deum diligere cupit, is seipsum oderit, necesse est.

Gaudet oportet, dum morbis, dolibus, angoribus, alijsque molestijs affligratur, quemadmodum quis gauderet, si ejus inimi-

inimicus, quem implacabili odio perse-  
quitur, hujusmodi calamitatibus foret  
obrutus.

Rarus admodum est, qui se ipsum ode-  
rit; nam qui verè se odit, proprijs non  
studet commodis & lucris, sed in divinæ  
gloriæ amplificationem indefesso labore  
incumbit.

Quæstus rerum creatarum merum est  
nihil, attamen is cuncta perfringit, &  
ubivis, heu! nimiùm quantum dominatur.

Solius Dei, ejusque gloriæ habenda esset  
ratio; sed quotquisque est, cuius animum  
hec cogitatio subit? Amor proprius, fons  
omnis mali, latè grassatur, & penè in om-  
nia se insinuat; atque utinam interdum  
ex parte non inficeret res vel Sanctissimas,  
vigilias, labores, afflictiones corporis,  
orationes, Sacrorum muniorum, nec non  
eleemosynarum distributiones! utinam  
non etiam aliquandò irreperet in sugge-  
stus, in sacra pœnitentia tribunalia, & in  
crebriorem mensæ Eucharisticæ frequen-  
tationem! atque ita sit, ut Dei gloria, quam  
utnam spectare nos oportet, jam non prio-  
rem locum occuperet, sed penè subsequatur.

Qui sincere Deum amat, is vel ad  
agenda, vel ad omitenda etiam Sanctissi-  
ma opera, se solo obedientiæ nutu regi-

K. 5. finit,

sinit, atque omnia humana infrà se ducit.

Deus neminem unquam fallit, nec quem-

quam deserit, nisi priùs ab illo deseratur.

Vult quoque, & solus debet ante omnia

amari. Nunquid id rationi consonum?

Ratione plenissimum est, inquit S. Eucherius

(a) *Te illum in quo habeas omnia, amare præ*

*omnibus.*

Cetera in Deo, & propter Deum amanda  
sunt. Infelix est amor, qui non in Deo,  
sed aut in hominibus, aut rebus perituris  
conquiescit.

Qui hominem amat, frendet, si quem-  
piam alterum præ se diligi videat; qui  
verò rebus caducis immoderatè adhæret,  
irā exardescit, atque invidiā uritur, dum  
eas ab alio amari, & desiderari intelligit.

Solus Dei amor doloris & solicitudinis  
expers est: quisquis enim sincerè Deum  
diligit, is ceteros quoque homines à Deo  
diligi gaudet, utque hic vicissim ab ijs dili-  
gatur, vehementer exoptat.

Quisquis habet amorem Dei, is cuncta  
possidet; amor verò pravus bonos mores  
hac in vitâ corrumpit, atque in alterâ  
horribiliter animam & corpus cruciat.

C A

(a) *De vera Sapientia.*